



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 39. Quid censendum sit in dubio, an Beneficium sit simplex, an curatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**



Primatus, Patriarchatus, Archi-Episcopatus, Episcopatus; hæc tamen in Canonibus pœnalibus & aliis, quæ strictæ sunt interpretationis, non veniunt nomine beneficii, unde cum exemptio à lege sit strictè interpretanda, si detur dispensatio ad omnia beneficia, non debet extendi, nequidem ad Episcopatum, *Garc. p. 1. c. 6. n. 66.* aliique cum *Leur. q. 34.*, ubi pluribus exponit, quanam etiam præbendæ quandoque non veniant nomine beneficii. Beneficium duplex medium, est v. g. Decanatus, Abbatia, uti tenent aliqui apud *Lott. l. 1. q. 26. à n. 17.*, Item Prioratus Claustralis, si quis sub Abbate curam disciplinæ habeat; & Prioratus Conventualis, si quis non habeat Superiorem in eo Conventu; item Patronatus. Duplex minus dicitur, in quo exercetur jurisdictio tantum in foro interno, uti faciunt Parochi & Sacellani.

228 Q. 39. *Quid censendum sit, in dubio, an beneficium sit simplex an curatum.* R. Censeri debet simplex, quia tot sunt qualitates ad beneficium curatum requisitæ, ut meritò præsumi non debeant, nisi probentur, *Gutt. Hoi. Gonz. Diana p. 4. t. 3. R. 74. Nicol. t. 1. d. 6 §. 2.* Quomodo autem immutetur quandoque, vel unde deprehendi possit mutatio status beneficii, explicat *Leur. p. 1. q. 33. & 38.*, possuntque videri dicenda à n. 296.

229 Q. 40 *An præbendæ Canonessarum sint beneficia.* R. Colligetur ex dicendis, inter quæ plura addemus ad hunc statum pertinentia.

§. I. Status hic est antiquus, scilicet ab anno 817. uti referunt *Zyp. in Conf. Canon. l. 3. de Regul. consult. 17. & Neuss. Poly. d. 145. n. 4.*, ejusque mentionem faciunt *Bonif. VIII. Cap. Indemnitatibus*, de Elect. in 6., ubi statuit, ut earum Abbatissa sit annorum saltem 30. Item *Clemens V. in Clem. l. 3. t. 10. c. 2.*,  
*Atten*